



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1. V. ante iudicium prædicandum sit Euangelium in vniuerso mundo.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

retulimus) Ioannem singulari, & admirando quodam modo obijisse.

Ioannes Euangelista secundum aduentum Christi præcurfor non futurus

Atque ex his concluditur, Ioannem non esse venturum cum Elia, & Henoch, ut sit præcurfor vltimi iudicii, probatur ex dictis, applicando rationes supra adductas de Moysè, & Ieremia. Quia anima iam beata non est iterum vnienda corpori mortali, ut patiatur, præsertim cum nullum sit fundamentum ad hoc inusitatum miraculum confingendum. Vltimo concluditur, solum Henoch, & Eliam futuros esse secundi Christi aduentus præcurfores. Probatum à sufficienti enumeratione. Et omnia confirmantur testimonio Apocal. 11. vbi duo tantum præcurfores venturi, & sub Antichristo passuri dicuntur. Quod vero capite 10. de se dicit Ioannes, se adhuc prophetaturum gentibus, hunc habet sensum, quod in illa reuelatione, quam eo capite narrat, intellexisset se plures alias visiones propheticas ad varias gentes pertinentes deinceps habiturum, & scripturum. Alij exponunt, illud dictum esse propter Euangelium, quod postea scripsit, & per illud multis gentibus, regnisque prophetavit. Alij simplicius dicunt, illud impletum fuisse cum iterum in Asia prædicauit, quando ex Insula Pathmos, in quam fuerat relegatus, rediit.

Responsio ad argumenta in oppositum Matth. 21. Hieronym. Abdias. Terull.

Et ex his fere satisfactum est fundamentis prioris sententiæ. Solum superest respondeamus ad illa verba Christi, *Calicem quidem meum bibetis*. Quibus respondet ibi Hieron. hoc impletum esse, quando Ioannes in seruientis olei dolium missus est: vel Ephesi ut scribit Abdias dicto libro 5. vel Romæ, ut scribit Tertul. lib. de præscrip. hæreticor. c. 36. & antiquissima Ecclesiæ Romanæ traditio confirmat. Nam licet tunc mortuus non fuerit, tamen quia & voluntarie se morti obtulit in testimonium fidei, & causa illa de se sufficiens erat ad mortem inferendam, nisi miraculose esset impedita, id satis est, ut dicatur *bibisse calicem Christi*, propter quod sæpe ab Ecclesia *martyr* appellatur. Addit Euth. in Matth. 43. calicem Christi bibere, non solum qui violenter mortuus est propter Christum: sed etiam, qui exilia, flagella, aliaque similia propter eum patitur, & sic certans vsque ad mortem perseuerat. Quæ omnia cum magna perfectione, & dignitate in Ioanne reperiri manifestum est.

Euthym.

Ad vltimam vero congruentiam facile est respondere in lege gratiæ tot esse testes Christi, & doctrinæ eius, ut non sit necessarium tunc nouum Ioannis testimonium. Erunt enim tunc multi Sancti, & prædicatores Euangelij, qui Elia, & Henoch adhærebunt. Nec fidei testimonium pendet ex visione oculorum, ut propterea necessarius sit testis oculatus. Quod si hoc etiam cōcedere velimus, aderit Elias, qui Christum vidit in carne mortali, & in gloriæ claritate in die transfigurationis.

DISPUTATIO LVI.

In quatuor Sectiones distributa.

De signis, quæ præcedent aduentum Christi ad iudicium.

SUpponimus, multa signa, & indicia antecessura esse diem iudicii, & aduentum Christi Domini, ut ex scriptura statim ostendemus. Quod (ut D. Th. in 4. notauit) partim pertinet ad Christi dignitatem, & gloriam aduentus eius, iuxta illud Aggæi 2. *Adhuc modicum, & ego commouebo celum, & terram, & mare, & aridam, & veniet desideratus cunctis gentibus*. Nam, licet intelligi hoc possit de primo aduentu, tamen potest etiam referri ad secundum, ex Paul. ad Heb. 12. partim ad vtilitatem hominum, ut se præparent ad iudiciū. Dicemus igitur de illis signis, quæ in Scriptura sacra habent fundamentum.

Agg. 2.

Heb. 12.

A Cætera enim, quæ afferri solent, nullius sunt autoritatis, qualia sunt illa quindecim, quæ ex Hieron. referunt Scholastici in 4. D. Tho. dist. 58. q. 1. art. 4. q. 1. D. Thom. & Sotus dist. 46. q. 4. art. 1. Illa enim neque apud Hieronymum, reperi, & prædicti autores affirmant Hieronymum, non ea referre ex propria sententia: sed ex apocryphis quibusdam Iudæorum annalibus. Attigit autem illa Euseb. Emisen. homil. in Dominicam secundam aduentus, & (tacito nomine Hieronymi) inquit, in Annalibus Iudæorum scripta referri. Postquam vero ea retulit, subiungit, *Non tamen is quidem autoritatem non damus: ideo vero scripsimus, quia Euangelij verbis conuenire videntur*. Illis ergo, & aliis id genus prætermisissis, signorum, quæ in scriptura indicantur, quædam sunt valde generalia, & communia, quæ fere quamdiu Ecclesia Christi durat, diuersis temporibus accidunt, quamquam veluti per antonomasiam illi temporibus, quod proxime iudicium antecedit, attribuantur. Huiusmodi sunt multa ex ijs, quæ Matth. 24. narrantur, ut illud: *Multi ventent in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos seducunt*. Audientur estus prælia, & opinioniones prætorum, conuerget gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentie, & famines, & terremotus, & alia huiusmodi: eiusdem generis sunt illa, quæ narrat Paul. 1. ad Timoth. 4. Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinam Demoniorum, & 2. ad Timoth. 3. In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, blasphemæ, &c. Hæc igitur signa, quia communia sunt, & per se satis clara, nulla demonstratione, aut explicatione indigent: declarando autem propria signa iudicii constabit, quomodo singulari modo, & per antonomasiam illi temporibus attribuantur. Alia ergo sunt propria illius diei signa, quæ ad duo reuocari capita possunt. Quædam, quæ antecedent iudicium, & initium eius, id est, aduentum iudicii, & conuocationem iudicandorum, quæ fiet angelica tuba personante: alia, quæ comitantur, vel inchoabunt ipsum iudicium, quorum signorum initium intelligi potest futurum in prædicto sono tubæ, homines ad iudicium conuocantis. De ijs posterioribus signis sermo erit dissequenti, hoc solum de prioribus, de quibus Christus dixit, *Cum videritis hæc fieri, scitote, quia prope est in ianuam*. Possent autem merito inter hæc signa numerari Antichristi Regnum, & persecutio, & aduentus, ac prædicatio Eliæ, & Henoch, de quibus propter materiam amplitudinem proprias disputationes præmisimus. Hic ergo explicanda supersunt tria alia illustriora signa, quæ partim Antichristum antecedent, partim sequuntur. Huiusmodi sunt prædicatio Euangelij per vniuersum mundum: euerfus Romani imperij, atque Vrbs: cœlestes immutationes Solis, & Lunæ, & Stellarum, ac elementorum, & rerum omnium, de quibus, & de ordine, quo euentura sunt, disseremus.

D. Thom. Hieronym. Sotus.

Euseb. Emi.

Matth. 24.

1. Tim. 4.

2. Tim. 3.

Matth. 24.

SECTIO I.

Virum ante iudicium prædicandum sit Euangelium in vniuerso orbe, sique hoc signum iudicii appropinquans.

IN hac re vnum est certum, multa vero dubia. Certum quidem, ac de fide est, ante diem iudicii prædicandum esse Euangelium in vniuerso orbe. Hos enim eiusdem fere verbis docuit Christus, Matth. 24. idque aliis testimoniis postea confirmabitur. Tria vero ad hoc explicandum inquiri possunt. Primum, quomodo hæc vniuersalis prædicatio, intelligenda sit. Secundum, quem effectum sit habitura, priusquam iudicium inchoetur. Tertium, quando, quove ordine perficienda sit.

Circa primum, ratio dubitandi sumi potest ex Paulo ad Rom. 10. dicente, *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fine orbis terræ verba eorum*: & ad Colo. 1. de verbo

Matth. 24.

de verbo Euangelij, inquit, Quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat. Iam ergo tempore Pauli prædicatum erit Euangelium in vniuerso orbe. Quod si quis respondeat, per synecdochen esse intelligendum in ijs locis vniuersum orbem, qui tunc erat cognitus, vel qui Romano subiacebat imperio, sicut Lucæ 2. dicitur. Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis: Simili modo poterunt intelligi, verba Christi, Matt. 24. Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe, & ita hoc non erit peculiare, sed valde commune signum futuri iudicii. Et auget difficultatem Chrysostom. hom. 76. in Matth. qui hæc verba Christi per illa loca Pauli interpretatur. Vnde, quod Christus subiungit, Et tunc veniet consummatio, non intelligit de consummatione mundi: sed de euersione Ierusalem. Nam de illa Christus sermonem fecerat, & de eadem fuerat à discipulis interrogatus, Quando hæc erunt? Quam expositionem sequuntur Theophyl. & Euthym. & eadem fuit expositio Hilarij canon. 25. in Matth. nec multum discrepat Hieronym. libi. & Ambros. lib. 10. in Lucam, ca. de signis futura destructionis templi. Nam, licet de sæculi consummatione hoc signum intelligant: tamen existimant iam fuisse suo tempore impletum. Non enim puro (ait Hieronym.) aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret, & quamquam non habuerit prædicatorem: tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare. Vnde Anselmus, eandem sequens interpretationem huius vniuersalis prædicationis, consequenter exponit illa verba. Tunc veniet consummatio, his verbis. Non dicit statim: sed non prius veniet consummatio ciuitatis vel mundi.

Nihilominus dicendum est, verba Christi propriè esse intelligenda, de vniuerso orbe, atque de omnibus prouincijs, & locis, in quibus homines habitant ita vt in omnibus illis prædicandum sit Euangelium, antequam Christus ad iudicium veniat. Hæc est sententia Aug. multis in locis, præcipuè vero Epistola 78. & 80. ad Hefichium, & lib. 2. de sermone Domini in monte, capite 10. & libro de vnitæ Eccles. capite 13. & libro 2. de consensu Euangel. capite 77. & lib. de agone Christiano, capite 29. Prosper de Prædict. & Promis. Dei parte 3. capite 40. Et prius eam docuit Origenes tractat. 28. in Matth. vbi loquens de statu rerum in fine mundi, sic inquit. Et in hoc statu constitutis rebus, Euangelium, quod prius non fuerat prædicatum in toto mundo (multi enim non solum barbararum, sed etiam nostrarum gentium vsque nunc non audierunt Christianitatis verbum) tunc prædicabitur, vt omnis gens Euangelicam audiat prædicationem, & nemo dereliquatur, qui non audiat. Et inferius id latius prosequitur concludens, Si quis temere dicere vult, prædicatum iam esse Euangelium in toto orbe in testimonium omnibus gentibus, consequenter dicere poterit iam finem venisse. Idem sentit Damasc. lib. 4. cap. 27. vbi de Antichristo loquens, inquit, Primum itaque, quemadmodum Dominus dixit, Euangelium apud omnes gentes prædicari necesse est, actunc ille ad prodendam Iudeorum impietatem veniet. Idem ferè affirmat Cyril. ca. 16. quamuis existimauit ipse, suo tempore prædicatum fuisse Euangelium ferè in vniuerso mundo. Optimè Theodoretus 2. ad Tessa. 2. tractans illa verba. Et nunc, quid dicitur, scitis, vt reueletur in suo tempore, sic enim exponit, Cum didicisset Apostolus, dixisse Dominum oportet Euangelium prædicari in omnibus gentibus, & tunc finem futurum: videret autem adhuc vigere cultum idolorum, dixit sequens doctrinam Domini fore, vt prius euertatur superstitio, & impius demonum cultus, & vbique fulgeat diuina prædication, & tunc appareat veritatis aduersarius. Idem sentit Greg. lib. 25. Moral. c. 15. & apertius Beda Marc. 2. 4. Ac denique Bernard. lib. 3. de consideratione ad Eugenium, & D. Thomas lect. 3. in ad Roman. 10. Secundo probari hoc potest ex prædictis verbis Christi, Dedit enim hoc tantquam signum consum-

mationis mundi. Hoc namque significat, cum inquit, Et tunc veniet consummatio, sed nisi hoc intelligatur propriè de generali prædicatione per vniuersum mundum, nullius momenti esset hoc signum. Quia alio proprio modo, & per synecdochen ante mille quingentos annos prædicatum fuit Euangelium per vniuersum orbem, & nondum venit consummatio. Nec potest conuenienter dici, Christum folum significasse non futuram sæculi consummationem, donec præcedat vniuersalis prædication. Nam verbum illud, Et tunc veniet, in sua proprietate, & rigore proximam consecutionem vnus post aliud significat: & quamquam necesse non sit, quod sæculi consummatio post vniuersalem prædicationem immediate futura sit: tamen vt minimum significatur illo modo loquendi inter vnā rem, & aliam non

interpositum iri magnam temporis moram: at duratio mille quingentis annis comprehensa, longissima est: non igitur intelligi potest ille locus de prædicatione vniuersali, tam remotis seiuncta temporibus. Neque etiam videtur commodè exponi de sola euersione Ierusalem. Tum quia discipuli, teste Matthæo, non tantum de euersione Ierosolymitana suscitati sunt, sed dixerant, Quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? & tamen Christus eorum interrogationi respondet. Deinde vtitur voce consummationis absolute & simpliciter, qua vniuersi potius, quam vnus ciuitatis tantum consummatio significatur. Præterea multa signa præbet, quæ non videntur antecessisse ante destructionem Ierusalem,

vt illud, Consurget gens contra gentem, regnum aduersus regnum, & terremotus magni erunt per loca, & pestilentia, & fames, & terroresque de celo, & signa magna erunt: & illud, Multi prophetae surgent, & seducunt multos, & quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Hæc enim & similia, licet ex parte inchoata fuerint à principio nascentis Ecclesie: integre tamen, & prout à Christo videntur prædicta, non nisi in toto progressu Ecclesie videntur impleri. Denique addit Christus, Euangelium esse prædicandum in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, vt nimirum in die iudicii nulla sit gens, quæ excusari ex eo possit, quod sibi non fuerit Euangelium prædicatum: ergo loquitur propriè de vniuersali prædicatione. Tertio probat hoc Augustin. ex illis locis veteris testamenti, in quibus promissa est Christo omnium gentium, nationumque possessio, dominium, ac veneratio, Psal. 71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum Psalmo 85. Omnes gentes, quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te, Domine: Sophon. 2. Et adorabunt eum omnes de loco suo, omnes insule gentium Malach. 1. Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Ergo oportet, vt ante mundi consummationem Christus per Euangelij prædicationem, totius mundi possessionem, & dominatum accipiat. Et confirmatur, quia pro omnibus mortuus est Christus, & ex omnibus gentibus, populis, & linguis aliquos saluabit, vt dicitur Apocalyp. 7. omnes iudicabit: ergo ad omnes etiam Euangelij prædicatione diffundetur. Vltimo ex ijs, quæ in discursu Ecclesie vsque ad nostra tempora gesta conspiciunt non obscure declaratur, hanc Christi prædicationem non modo Apostolorum tempore, verum neque vsque ad hanc ætatem esse impletam, sed paulatim impleri: atque adeo non esse mundum finiedum, donec integre compleatur. Nam & Origenes, & Augustin. citatis locis referunt, suis temporibus non fuisse prædicatum Euangelium in vniuerso orbe, & (ne verera repetamus) constat, nostra ætate inuentas esse plures prouincias, ad quas prædicatione Euangelij nunquam perueherat, cum illæ nesci Apostolis, neque ante nostram fuerint ætatem cognitæ. Nunc autem videmus in eis Ecclesiam esse diffusam, & quotidie novas nationes inueniri,

Vniuersalis
Euangelij
prædicatione
instantis
iudicii
signum
& consummationis
sæculi.
Matth. 24.

August.
Psal. 71.
Psal. 85.
Sophon. 2.
Malach. 1.

Apos. 7.

niri, ianuamque paulatim aperiri ad prædicandum eis Euangelium, cuius neque notitia, neque vestigium in ipsis reperitur. Ergo vniuersalis hæc prædicatio Euangelij intelligenda est proprie, ac simpliciter de toto orbe.

*Responsio
ad argumen-
ta in opposi-
tum
August.*

Ad difficultatem autem propositam responderet primo Aug. Paulum in illo loco ad Roma. 10. more Prophetico, quod futurum erat tanquam iam factum prædixisse, sicut & Dauid eodem genere loquutionis de præterito dixit, *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Ad alium fere locum ad Colos. 1. responderet, Paulum non asserere Euangelium totum mundum occupasse actus, sed virtute. Quia ita seminatum erat, ut in toto mundo fructificaret iamiam, cresceretque. Quare posterior hic locus difficultatem non habet: in priori vero nonnulla est difficultas.

*Testimonij
Pauli ad
Rom. 10.
Expositio.*

Quia Paulus rationem ibi reddit, cur essent etiam suo tempore inexcusabiles, qui in Christum non credebant. Vnde cum sibi obieisset, *Nunquid non audierunt?* Respondet, *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum.* Ergo necesse est, ut loquatur de re iam facta, alioqui non ostenderet, quomodo essent inexcusabiles homines, qui tunc vivebant, sed qui futuri post essent, quando illa impleretur prophetia.

Hieronym.

Ideo aliter responderi potest ex verbis Hieronymi. supra citatis, sonum Euangelij dupliciter posse peruenire ad aliquos: primo per proprios prædicatores, & sufficiens Euangelij propositionem, & hoc modo nondum peruenisse Euangelium ad vniuersum mundum, peruenturum tamen aliquando: alio modo per solam famam ab ijs locis emanantem, in quibus Euangelium prædicatum est, & hoc modo intelligi Paulum, cum ait, *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Ita fere D. Thom. supra, & Ambrosius. Sed hæc etiam responsio difficultatem habet. Tum quia sonus Euangelij per solam rumorem, ac famam non videtur esse satis, ut homines fiat inexcusabiles, nisi fortasse talis, tamque probabilis sit, ut eos obliget ad inquirendam veritatem: tum maxime, quia neque hoc modo percubuerat tunc sonus Euangelij per omnes mundi prouincias: sed ad summum per prouincias in hoc nostro orbe notissimas. Ergo necessario fatendum videtur, Paulum de hoc solum fuisse loquutum. Quod etiam videtur maxime consentaneum intentioni eius. Nam potissimum intendebat convincere Iudeos, & de eis loquitur, cum dicit, *Nunquid non audierunt?* ut exponunt Theodor. & Ambrosius: & licet exponatur de gentibus, loquitur tamen de eis, inter quos versabatur, & hoc dicit esse inexcusabiles, quia vel audierunt, vel facile audire potuerunt Euangelij vocem, quæ per totum orbem insonuerat. Hæc igitur expositione admissa, negatur, eandem posse applicari ad verba Christi, quia in loco Pauli circumstantiæ contextus, & materia, de qua agitur, nos cogit, ut per tropum, & synecdochen verba illa exponamus: at vero in verbis Christi, in primis nulla est necessitas, & ideo ex regula generali exponendi scripturam, proprietas verborum tenenda est. Deinde circumstantiæ sermonis Christi potius nos ad hanc intelligentiam inducunt. Ac denique consonantia scripturarum eam valde confirmat. Cum enim Christus dicit Apostolis Matth. vltim. *Euntes docete omnes gentes*, vel clarius Marc. vlt. *Euntes in mundum vniuersum, prædicare Euangelium omni creature*, non est loquutus per synecdochen, sed proprie. Nam re vera in vniuersum orbem dedit potestatem Apostolis, eorumque successoribus. Huic etiam veritati concordant veteres prophetiæ supra adductæ, & aliæ, quæ videri possunt Isaia 66. & Ezech. 11. & 37.

*Matth. 28.
Marc. 16.*

*Isa. 66.
Ezech. 11.
Et 37.*

Obiectio.

Sed adhuc superest aliquid addendum prædicto loco Pauli, quo hæc veritas magis confirmetur. Videtur enim huic vltimæ expositioni ob stare, quod cum Paulus verba Psalmistæ vsurpet, eodem sensu, quo ille, loqui credendus est: at in Psalm. 8. verba illa,

In omnem terram exiuit sonus eorum, proprie, & in rigore intelliguntur de vniuersa terra. Nam ad litteram ibi est sermo de cælis, qui per vniuersum orbem enarrant gloriam Dei, in sensu vero mystico de Apostolis: ergo eodem modo loquutus est Paulus. Ex qua obiectione in primis sumimus, quod sicut prædicatio cælorum in omnem terram exiuit: ita Euangelij prædicatio aliquando exitura est. Nam Psalmista (exponente Paulo) hoc prædixit sub illa figura. Vnde vltius eliciamus (exponendo simul Augusti. sententiam) Paulum eodem sensu esse locutum: ita tamen, ut non docuerit, illam prophetiam iam omnino esse impletam, sed ceptam impleri, ita ut ea ratione fierent inexcusabiles, vel Iudei, vel Gentiles, ad quos

Responsio.

verbum Euangelij præuenierat.

Ad Chrysostrum, & alios Patres citatos, non negamus, quin Christus Dominus in eo cap. Matth. 24. euerfionem Ierosolymitanam, multa que signa, quæ eam præcesserunt, prædixerit, & ita hunc sensum interdum Sancti declarant: tamen negari quoque nequit, quin de aduentu suo ad iudicium, & de signis, quæ illum antecederent, multa ibi tractauerit: vel quia discipuli existimantes, euerfionem Ierosolymitanam non esse futuram vsque ad secundum Christi aduentum, simul de vtriusque consummatione interrogauerant (ut ibi Diuus Thomas notat) vel quia Ierosolymitana euerfio, & signa eius futura erant quasi imago quadam diuinæ vindictæ in die iudicii futura: solet autem diuina Scriptura futurorum veritatem in figuris præmittere, ac præsignificare, simulque multa dicere, quæ & in rem illam, quæ figura est, apte conueniant & in re repræsentata perfectius euentura sint. Sic Psalm. 71. principalis est sermo de Christo, in persona Salomonis, qui fuit eius figura, & multa in eo dicuntur, quæ & Salomoni, & Christo quadrare possunt aliqua soli Christo, Sicut etiam Danielis 11. de Antichristo, & de Antiocho simul est sermo, & Isaia 14. de Nabuchodonosor, & Lucifer, & de Babylone, & mundo, ut ibi notat Hieronym. & similia sunt multa scripturæ exempla.

Psalm. 71.

*Dan. 11.
Isaia 14.*

Hieronym.

Ad hunc ergo modum loquutus est Christus Dominus in eo cap. prædicens signa, & terrores iudicii simul cum Ierosolymitano excidio. Quapropter licet aliqua verba interdum exponantur à Patribus de euerfione Ierusalem, non excluditur, quin exponi possint de vltimo iudicio, præsertim si secundum proprium verborum sensum, illi melius accommodentur. De qua re legi potest Chrysostr. hom. 11. in Matth. circa illa verba, *Palæas autem comburent igni inextinguibili.* Vbi tradit regulam generalem seruandam in Scriptura, scilicet, *Christum sæpe in eisdem rebus duas prophetias pariter collocare, quarum vnam hic implet, alteram spondeat in futuro, ut ab iis, qui de promissionibus eius pertinacius dubitant, ex hac, quæ iam facta est, etiam illa, quæ nondum facta est, credatur implenda.*

Chrysostr.

Superest vero exponendum (quod secundo loco proposuimus) quoniam sit expectandus effectus huius vniuersalis prædicationis, id est, an non solum prædicandum sit Euangelium in vniuerso orbe: sed etiam ab omnibus sit recipiendum, ita ut totus orbis ad Christum conuertendus sit, & religionem Christianam professurus, antequam adueniat dies Domini. Ratio dubitandi est, quia Christus non dixit, *Credetur hoc Euangelium in vniuerso*, sed, *prædicabitur*, nec dixit, *prædicabitur*, ut omnes credant, sed in testimonium omnibus gentibus, id est, ut qui noluerint credere, nullam excusationem habeant (ut omnes exponunt) ergo non constat, Euangelium vbique esse suscipiendum, sed prædicandum tantum. In contrarium autem facere videntur omnia, quæ pro Augustini sententia paulo ante adduximus, de promissionibus Christo factis, *Dominabitur à mari vsque ad mare*: & de vniuersali tam gentium, quam Iudeorum conuerfione. Et de priori quidem multa supra retulimus ex Dau. de. Isa. Ezech. de posteriori vero e-

claa

Alia prædictio Isai. ca. 11. Et erit in die illa adiciet Dominus secundo manum suam, ad possidendum residuum populi sui, ut Hieron. Cyril. Basil. alij exponunt. De utraque verò est expressum testimonium Pauli ad Rom. 11. Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec intraret plenitudo gentium, & sic omnis Israel, saluus fiet. Quod etiam videtur significasse Ioan. c. 11. exponens sensum ab spiritu sancto intentum in verbis illis Caiphæ, Expedit, ut vnus moriatur homo pro populo, ut non tota gens pereat, Prophetavit (inquit) quod Iesus erat moriturus pro gente, id est pro Iudeis, & non tantum pro gente, sed, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum, id est, ut omnes tam Iudeos, quam gentes in vnam Ecclesiâ cogeret. Quod etiam confirmant verba illa Christi, Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ovile, & vnus pastor. Sic etiam de vtroque populo prædictum erat Psal. 78. Dominabitur Iacob, & finium terra, & Sophon. 3. Tunc loquitur de die iudicii reddam populo labium electum, ut inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno, & postea hanc conuersionem tam gentium, quam Iudeorum late describit. Et confirmatur tandem ex Paulo 2. ad Thessalon. 2. dicente, Nisi venerit discessio primus, seu apostasia. Supponere enim videtur, prius vniuersum orbem futurum esse vnus Christianæ religionis: postea vero aduentum Antichristi maiori ex parte à Christo recessurum.

In hac renihil video esse in Scriptura perspicue prædictum, neque ab antiquis Doctoribus traditum: exijs verò, quæ dicta sunt, hæc videntur colligi verisimiliora. Primo ita esse Euangelium per vniuersum orbem prædicandū, ut vbiq; id est, in omnibus regionibus, & præcipue prouincijs templa fundentur, & Christiana religio recipiatur, & exerceatur, & hoc modo Christus vbiq; agnoscat, & colatur. Hæc est sententia Augustini. citatis locis, & eandem significant reliqui Patres citati, & hoc probant testimonia prophetarum, qualia etiam sunt elegantissima apud Isaiam capite. 2. & apud Mich. cap. 4. Præterea facit, quod supra ex Apocalyp. 7. adduximus, ex omni populo, & omni lingua aliquos esse saluandos. Deniq; per se, ac fine alia probatione verisimile est, si Euangelium vbiq; est prædicandum non solum per famā, & rumorem, sed per proprios prædicatores, vbiq; etiam fructificaturum, atq; adeo vbiq; esse Ecclesiam propagandam, & fundandam. Quod etiam euentus ipsarum rerum, quas experimur, satis confirmat. Hoc enim modo, & fructu videmus, Euangelium esse disseminatum in remotissimis regionibus, de quibus ante centum annos vix esse potuisset humana spes. Quapropter eundem modo in cæteris regionibus sperare licet exitū. Neq; huic veritati dissonant verba Christi, quia Euangelium vbiq; prædicatum erit in testimonium omnibus: in testimonium quidem premij, ac mercedis ijs qui credunt: in testimonium autem iudicij, & condemnationis ijs, qui non credunt.

Vnde secundo dicendum est, licet vbiq; sit fundanda, & propaganda Ecclesia: non tamē omnes in vniuersum homines esse credituros. Hoc enim nec necessarium est, neque villo testimonio probabili affirmari potest, neque est consentaneum humano ingenio, ac libertati, nec experientia, nec modo Diuinæ prædestinationis, quæ ita videtur res hominū disposuisse, ordinasse, ac permisisse, ut semper sint inter eos boni, & mali, fideles, & infideles. Quod varijs parabolis in Euangelio Christus significauit, & in omnibus indicat, hanc permixtionem vsque ad finem mundi duraturā. Quocirca licet per hanc vniuersalē prædicationem ex omnibus nationibus aliqui sint conuertendi, nō tamē necesse est, ut omnes homines cuiusvis nationis conuertantur, ut recte notauit Francisc. Ribera Mich. 4. citans Lyrannū, & Fr. Suarez. tom. 2.

Adrianum Finum lib. 7. c. 5. Neque etiam mihi constet, an vbiq; sit idololatria tollenda. Fieri enim potest, ut in eisdē prouincijs, vel ciuitatibus fundentur Ecclesiæ Christianorū, & tamen idolorum templa non euerantur; ut in principio Ecclesiæ accidit, & nunc in Iaponia conspiciamus. Et hoc satis est ad complementum huius prædictionis, & signi, de quo agimus, quamuis non constet, an sit maiorem effectum habiturum.

Hinc addo tertio, per hanc vniuersalem prædicationem, quæ antecessura est aduentum Antichristi, non esse consummandam Iudeorum conuersionem à Paulo, alijsq; prædictam. Neq; enim id necessarium est ad vniuersalem prædicationē, ut dixi. Colligitur autem hoc aperte ex ijs, quæ supra diximus de aduentu Antichristi, scilicet, eum à Iudeis præcipue esse suscipiendum, sicut Christus prædixit Ioan. 5. quia in poenā cæcitatē, & incredulitatis eorū, maximē venturus est, teste Paulo 2. ad Thess. 2. non ergo erunt tunc Iudæi ad fidem conuersi. Et ita supponunt Cyr. c. 15. Damasc. lib. 4. c. 25. Hippolyt. de consum. mundi. August. 20. de Ciuit. c. 29. Verum est, statim c. 30. circa finē, sentire, aduentū Eliæ, & conuersionem Iudeorum fore ante Antichristum. Potest autē exponi, id est, ante finitam persecutionem Antichristi, nō verò ante inchoatam, quia ante inchoatam nō potest esse verum, ut patet ex supradictis de aduentu Eliæ. Idem Hilari. docet Hilari. c. 26. in Matth. vbi ait, Sicut pars Iudeorum Theod. per Apostolos creditur, ita est creditura per Eliam. Idē Theod. & Ansel. ad Roma. 11. Conuersio ergo illa Iudeorum consummata est postea per prædicationem Eliæ, & Hier.

Henoch, ut idem Patres notāt, & Hier. in id Psal. 20. In reliquis tuis preparabis vultum eorum. Et colligitur ex illis verbis Christi Matth. 17. Elias venturus est, & resurget omnia, & ex alijs supra adductis, Malach. 4. & Apoc. 11. Et confirmari potest Ioel. 3. Ecce in diebus illis, & in tempore illo, cum conuertero captiuitatem Iudæ, & Ierusalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat. Vbi aperte dicitur, post Iudeorum conuersionem statim futurum esse iudicium. Erit ergo Iudeorum conuersio proxime ante iudicium, eodem tempore, quo acris Antichristus Ecclesiam Dei persequetur. Erit autem facile, tam breui tempore Iudeos per Eliam conuerti, quia verisimile est, audita fama Antichristi, & quod a suis receptus sit ut Messias, & quod Ierusalem ac templum reedificat, ex vniuerso orbe Iudeos omnes confluros Ierusalem, seu in eam regionem, vbi potissimum Antichristus imperabit: illuc ergo adueniens Elias facili negotio docebit vniuersos. Præter sanctitatem autem Eliæ, & vim, efficaciamq; dicendi, atq; operandi, erit ex parte Iudeorum apta dispositio ad veritatem suscipiendam, quod experimento cognoscant, se esse ab Antichristo deceptos, quoniam non ad veri Dei cultum, sed ad se adorandum, ut Deum omnes allicere conabuntur. Et (quod præcipuum est) Deus speciali gratia concurret ad illuminandos illos. Non cogimur autem dicere, cūctos omnino Iudeos esse conuertendos, & credituros in Christum: sed solum eos, qui ad æternam vitam fuerint præordinati, iuxta illud Dan. 12. In tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro. Solum ergo illi credent, si de scilicet viuā, & stabili, ac permanente vsq; ad finē. Non est autem, cur dicamus, omnes Iudeos, qui tunc vident, fore prædestinatos vel ad æternam vitam, vel ad fidem. Quia verò aliquid specialius illo tempore promittitur, credendum est, maiori ex parte tunc fore Iudeos conuertendos, quod notauit Oecum. ad Ro. 11. dicens, Vere omnis Israel saluus erit, id est, plures, quidem auertentur à peccatis, & conuertentur ad ipsum, & idem significat Theoph. ibidem.

Quarto, non videtur necessarium, ut per hanc vniuersalem Euangelij prædicationem efficiatur, ut aliquo tempore ante iudicium vniuersus mundus, totus simul in Christum credat, & Catholicam amplectatur.

plectatur religionem. Nam Christi predictio, in qua A
signum potissimum fundatur, satis verificatur, si
paulatim, & successiue Euangelium in vniuerso mun-
do predicetur, quamuis fortasse, cum ad vnam par-
tem orbis peruenierit, alia, quæ illud audierat, & su-
sciperat, vel per hæresim, vel per paganisum, aut
aliud apostasiam genus ab illo discedat. Quamobrem
non videtur necessarium, vt propter hoc signum fu-
turi iudicii dicamus, antequam Christus ad iudica-
dum veniat, in tota Asia, vel Africa iterum esse præ-
dicandum Euangelium, atque omnes illas gentes
prius esse ad fidem conuertendas. Cum enim iam in ijs
prouincijs prædicatum sit Euangelium, fundataq;
Ecclesia, & ex illis gentibus multi fuerint salutem
consequuti, ex nulla prophetia, aut Scripturæ testi-
monio colligi potest, iterum esse ibi prædicandum,
aut illas gentes iterum ad fidem conuertendas. Qua-
re, licet definite negari non possit, ita esse futurum,
quia hoc etiam ignoratur: tamen neq; affirmari po-
test, cum non sit reuelatum. Illa enim verba Ioannis 10.

Ioan. 10.

Erit vnum ouile, & vnus pastor, non significat, fore a-
liquando, vt vniuersus orbis, & omnes homines sint
intra Ecclesiam, ita vt nullus sit infidelis, sicq; con-
stituant vnum ouile sub vno pastore Christo, & vi-
cario eius. Nā Christus ibi de hoc non diserebat, sed
solum prædixit futuram gentium conuersionem, & ex
gentibus, & Iudæis constituendum esse vnum ouile,
atq; vnam Ecclesiam vniuersalem, & Catholicam,
quæ (quod in se est) omnes complectatur. Quod au-
tem plures, vel pauciores diuersis temporibus, vel
ex gentibus, vel ex Iudæis intra hanc Ecclesiam per
fidem congregandi sint, de hoc nihil Christus affir-
mauit. Quanquam (si verba eius interpretemur non
absolute de hominibus, sed de ouibus specialiter e-
lectis, ac prædestinatis (de illis verum est, omnes sem-
per adduci ad ouile Ecclesiæ, extra quam non est sa-
lus, quamuis non ex solis illis Christi ouile constitu-
tur. Neq; etiam ex illo testimonio Pauli, *Nisi veneris*

2. Thessal. 1.

discessio primum, colligi potest, ante aduentum Anti-
christi aliquando omnes homines futuros esse fide-
les. Primum quia (vt supra dixi) aliqui probabiliter
exponunt hanc discessionem non ab Ecclesia, sed ab
imperio Romano. Deinde quia multi per *discessionem*
intelligunt ipsum Antichristum, vel apostasiam tẽ-
pore persecutionis eius in Ecclesia futurā, vt patet
ex Theodor. & Oecum. ibi. Et Aug. 20. de Ciuit. c. 19.
ibi pro *discessione*, *transugam*, vertit. Deniq; quia licet
demus, *discessionem*, significare ibi magnam quādam
apostasiam futuram, antequam veniat Antichristus
non inde fit, ante illam vniuersum mundum, & om-
nes prorsus homines futuros fideles. Potest enim
talis discessio esse à pontifice Romano, & à Catho-
lica Ecclesia in quibuscunq; regionibus, vel homi-
nibus extiterit: sic autem quasi per antonomasiam
appellari potuit, quia fortasse maxima ex parte Ec-
clesia deficiet. De qua re iterum sectionibus sequen-
tibus redibit sermo.

Theodor.
Oecumen.
August.Vniuersalis
per orbis Eu-
angelij pro-
mulgatio
quādo, quo-
modo vesi-
tura.

Vltimo supererat explicandū, quod tertio loco
est propositum, scilicet, quo tempore, & ordine hæc
vniuersalis prædicatio futura sit, sed in hac re pauca
à nobis dici possunt. Nam quæ in futurum pendent,
& præsertim, quæ pertinent ad tempora iudicii, &
consummationis mundi, nobis sunt incognita, vt
diximus. Tria verò ex ijs, quæ hætenus dicta sunt,
colligi possunt. Vnum est, hanc prædicationem ab
initio Ecclesiæ esse inchoatam, & quotidie magis, ac
magis perfici, vt experientia docet. Alterū est, hanc
vniuersalem prædicationem extensivè (vt sic dicā)
consummandam esse in toto orbe ante persecu-
tionē Antichristi, eiusq; aduentum, vt recte docent
Aug. & alij Patres supra citati. Et facile conuinci po-
test, si, quæ supra dicta sunt de regno Antichristi, cõ-
siderentur. Nam eo tempore, quo Antichristus re-
gnauerit, non solum non poterit Ecclesia propagari,
aut Euangelij prædicatio ad nouas regiones deferri:

verum potius vbi Ecclesia fuerit, maxima ex parte
deficiet & fideles, qui perseuerauerint vix poterunt
religionis cultum publice profiteri, nedum ad con-
uertendas nouas prouincias mitti. Post mortem ve-
rò Antichristi tempus erit breuissimum (vt supra et-
iam dictum est) ergo post aduentum illius non po-
terit vniuersalis hæc prædicatio absolui: necesse est
ergo, vt ante eius aduentum perficiatur, Quin potius
hac ratione conuincimur, vt existimemus, hanc
prædicationem absolvendam esse, antequam in Ro-
mana Ecclesia, vel imperio fiat magna aliqua mu-
tatio temporalis, aut euersio, de qua Sect. sequenti
dicendum est. Quia vt Euangelium in toto orbe
tandem aliquando commode diuulgari possit, ne-
cesse est, vt dignitas Romanæ Ecclesiæ suum splen-
dorem, potestatemq; non solum spiritualem, & di-
uinam, sed etiam temporalem retineat, vel saltem
vt in eius obedientia Catholicæ Reges, ac potentes
Principes perseuerent, quorum auxilio, & ope ad fi-
dē propagandā vt possit. Quocirca inter signa pro-
pria futuri iudicii hoc, de quo hætenus diximus, vi-
detur esse primum, & ante omnia implendum, vt ex
sequentibus amplius constabit. Tertium est, post im-
pletam hanc vniuersalem prædicationem Euangelij,
non multo post futurum Antichristi aduentum, &
vltimam Ecclesiæ persecutionem, ac deniq; mundi
consummationem. Hoc colligitur ex illis Christi
verbis, *& tunc veniet consummatio*. Quando autem
post ventura sit, incertum nobis est, vt recte dixit
Augustin. dicta epist. 78. & 80.

Matth. 24.
August.

SECTIO II.

*Vtrum ante iudicium & proxime ante aduentum
Antichristi Romana ciuitas euertenda, Roma-
numque Imperium omnino extinguendum sit.*

Quæstionem hanc superius breuiter attigimus,
quoniam necessarium fuit ad ostendendū, An-
tichristum nondum venisse: nunc autem fufius, &
ex proprijs principijs est à nobis explicanda, quo-
niam & est huius loci maxime propria, & non parū
difficilis, & ad intelligenda nonnulla Scripturæ lo-
ca, aliasque theologicæ quæstiones valde vtilis esse
potest.

Quod igitur Romanum imperium extinguendū
sit in aduentu Antichristi, supra ex communi Pa-
trum traditione suppositum: nunc autem plura
circa hoc inquirenda, declarandaq; supersunt. Pri-
mum quo scripturæ fundamento hoc nitatur, nul-
lum enim firmum inuenitur. Duo etenim adduci
solent. Primum est illud 2. ad Thess. 2. *Nisi veneris di-*

2. Thessal. 2.

scissio primum, quod de euerione Romani imperij
interpretatur Hieron. q. 11. ad Algas. & Ambros. Hieron.
Primasius, ibi, & Terrul. lib. de resurrex. carn. c. 24. Ambros.

Ambros.

Hoc verò nullius momenti esse videtur, primo quia
Primasius (vt sæpe dictum est) hic locus melius intelligitur de
spirituali discessione, & apostasia à fide, & ab spiri-
tuali imperio Romani Pontificis, in quod tempora-
le imperium mutatum est, vt eleganter dixit Leo Papa

Leo Papa.

serm. 1. de Apostolis Petro, & Paulo, & ita exponunt
Chrys. & Græci, qui ipsum Antichristum per *disces-*

Chrysost.

ssionem significari intelligunt. Idem fere Aug. 20. de
Ciuit. c. 19. Secundo quia discessio non significat in-
tegram extinctionem, sed separationē, & diuisionē:
si ergo Paul. loquitur de discessione à temporali im-
perio Romano, hæc ante multa tẽpora facta est. De-
ficere enim cepit hoc imperiū, & dissipari, vel quā-
do Orientale imperium ad Turcas translātū est: vel
quando imperiū in Occidente à Gothis, & Vandalis
vastari, & occupari cepit, & ipsa Romana ciuitas à
Gothis capta est. De qua re Blondus de cad. 1. & Sabel-
licus Aenead. 7. li. 9. & Aene. 8. li. 1. & seq. & Orosius li.
2. & 7. sup. historiæ, & alij, qui de rebus Romanis scri-
bunt. Secundū est, quod de diuisione Romani imperij
in de-

Blondus.

Sabellicus.

Orosius.

in de-